

improbare, Absolutismus fuerit obelisco dignus. **AMPLEXVM** nonnulli dicunt viæ unitivæ competere, unionem cum DEO spiritua-  
 tualem sine fide somniantes. **ANDROGYNUM** nobis exhibet Ada-  
 mum Mysticorum nostræ ætatis Coryphæus Poirettus. **ANIMAM**  
**MUNDI** quam portentose Böhmistæ describunt, jam Archæum, jam  
 Sandalphonem, jam spiritualement rerum omnium vitam, jam natu-  
 ram & creaturam, jam genitam ex divina essentia & in unam essentiam  
 reductam Echo, quæ per λόγος dicta, & per Spiritum S. ceu muniam  
 vitalem, vivificata sit, appellitantes? Næ! hi cum matre Evandri lo-  
 quentes, intelligendo faciunt, ut nihil intelligant. **APPARITIO-**  
**NES CORPOREAS, IMAGINARIAS & INTELLECTUALES**  
 Teresiæ, Bonaventuræ & aliorum vel antiquitas fabulosa reddit fa-  
 bulosas. Etsi enim illi, qui spiritus probare didicerunt, num sint  
 ex Deo, non omnes promiscue rejiciunt, quæ oboriuntur, visiones;  
 tamen eventu comprobatum & sæpe compertum est, has falsæ de-  
 votionis & Pseudomysticismi cuniculos & fomenta fuisse, ab eo callide  
 adhibita, qui sese in Angelum lucis transformare novit. **ARIDITATEM**  
**ANIMÆ** impedimentum devotionis nominant subinde, qui nondum  
 satis liquoris electitii biberunt; sed & **ASCENSIONEM MENTIS AD**  
**DEUM** jactitant, qui, famosa ista via tergemina, purgationis sine  
 Sanguine Christi, illuminationis sine Verbo Dei externo, & unionis  
 sine fide, mysteria sua peragere & emeriri laborantes, non Paulino  
 certe Spiritu ea, quæ sursum sunt, quærunt, verum **ASSIMILA-**  
**TIONEM CUM DEO** Pythagoricam, Platoniam, Cabbalisticam,  
 Sephirothicam, Deisticam & Spinosisticam, neque secius **AU-**  
**RORAM**, illuminationis suæ ministram, perditæ affectant.

B..

**BABELEM & BABYLONICAM MERETRICEM** hi Sanctuli  
 nominant jam totam Ecclesiam Christianam, jam præcipue Luthera-  
 no - Evangelicam, in qua nihil non confundere ac turbare gestiunt;  
 ac proinde termino isthoc technologico, ceu elemento sibi domesti-  
 co, mirifice delectantur. **BEATITVDO PER ASPECTVM, PER**  
**VISIONES ET COLLOQVIA CVM DEO**, hac in vita jamdum

B

per